

HOMERI ILIADOS. LIBER PRIMUS.

(Homeri Ilias Latinis versibus expressa a Raymundo Cunichio Ragusino,¹ Venetiis 1784, pp. 1–25)

[I 1–9 = Alpha 1–7.

W: Rogatur ab initio Musa, ut cantum praecipiat de cladibus ad Ilium, Achillis iram consequutis.]²

Iram, diva, trucem Pelidae concine Achillei, Innumeris horrenda olim quae pressit Achivos Luctibus; obscuro multas & compulit Orco Heroum fortes animas; ac frigida leto	Omnigenis; (magni certo Jovis omnia nutu Ibant) ex quo, acres ad jurgia saeva coorti, Regnatorque virum Atrides, & dius Achilles ruperunt pactamque fidem, & socialia vincla.
5 Membra feris canibus praedam, alitibusque reliquit	

[I 10–31 = Alpha 8–21.

W: Venit in concionem Achivorum Chryses, sacerdos Apollinis, filiam suam redempturus, bello nuper captam, et honoris causa datam Agamemnoni.]

10 Immani geminos reges, duo lumina Grajum, [8] Quis divum inter se rixa commisit, & alto Indomitos acuit primum sub corde furores? Candida quem superum genuit Latona parenti, [9] Arcitenens. regi offensus vulgo intulit atram	Dona ferens, gnatae pretium, vittamque sacerdos Aurato implicitam sceptro gestabat, & omnes Ambibat praecibus Grajos; geminosque rogabat Praecipue Atridas, rerum queis tradita summa:
15 Ille luem; totis passim quae didita castris Argivam leto pubem sternebat acerbo Unius Atridae ob culpam, Chrysenque superbis Exceptum dictis; Chrysen, cui prima sacrorum Cura, & Apollinei custodia credita templi.	25 Magnanimi Atridae, Grajum & gens fortibus armis [17] Inclyta; sic divi, quotquot fulgentia caeli Templa colunt, vobis Priameia vertere fundo Moenia dent, ventisque domum remeare secundis; Solvite servitio mihi dulcem & reddite natam.
20 Venerat hic Danaum ad naves ingentia secum [12]	30 Reddite; neu pretium, neve haec insignia, dextra Quae gesto, & longe jaculantem spernite Phoebum.

[I 32–72 = Alpha 22–52.

W: Illo cum ignominia repulso, funestam luem Apollo per exercitum spargit.]

Talibus orabat senior; cunctique favebant [22] Grajugenae assensu haud dubio, sacrique verendam Canitiem capitis, capiendaque dona fremebant.	Sic ait: ille metu mutus nihil hiscere contra [33] Est ausus; tacitusque dolensque in litore curvo, Spumea qua rauco frangunt se caerulea fluctu,
35 Non tamen his flexit verbis Agamemnona: saevus Ille virum totis actutum excedere castris Imperat, ac flentem dictis incessit amaris: Ocyus hinc abscede, senex; ne, sive manentem, [26] Seu puppes fuero redeuntem nactus ad altas,	50 Ibat; &, ad caelum tollens manantia fletu Lumina, sollicito dedit has de pectore voces: Audi haec, arcitenens, cujus sub numine Chrysa est, [37] Quo Cilla & Tenedos circumflua rege superbit, Sminteu: si qua tuus templo tibi grata sacerdos
40 Nil tibi jam prosit sceptrumve, aut infula Phoebi. Quam poscis, gnatam certum est dimittere nusquam, Dum procul abductam patria tellure senectus Occupet Argivas inter, nostrumque cubile Ornantem, & gracili textentem stamine telas.	55 Serta tuli, imposui si quando viscera flammis Caprarumque, boumque; unum hoc da, magne, precanti, Phoebe: luat miseri lacrimas, luctumque parentis Foeda clade tuis Danaum gens icta sagittis. Talibus orantem Phoebus, fletusque cientem [43]
45 At tu, dum salvo licet, hinc te proripe; nec me Incassum precibus, longaue incende querela.	60 Audiit, & summi celso de vertice Olympi, Obscuro faciem nimbo circumdatus almam,

¹ Quae primum edita est Romae 1776. — *Enciclopedia italiana* XII p. 127 s.v. »Cunich, Raimondo«: Grecista e latinista, nato a Ragusa di Dalmazia il 17 gennaio 1719, morto a Roma il 22 novembre 1794. Giovanetto entrò, in Roma, nella Compagnia di Gesù nel 1734, divenendo, con Ruggero Boscovich, uno dei più illustri tra quella schiera di letterati e scienziati ragusei che la piccola repubblica adriatica diede nel '700 all'Italia. Passò 27 anni insegnando latino e greco a Fermo, a Città di Castello, a Firenze, e finalmente a Roma, prima a S. Andrea al Quirinale, poi al Collegio romano. Soppressa la Compagnia di Gesù nel 1773, ricusò la cattedra offertagli nell'università di Pisa continuando a vivere da prete secolare a Roma, dove fu uno degli Arcadi più reputati. In questo periodo della lunga sua vita fu anche maestro e amico devoto di Maria Pizzelli, leggiadra e colta dama, e ne frequentò il salotto, dove negli ultimi decenni del '700 si raccoglieva il fiore dell'intellettualità italiana e straniera. Scrisse parecchie eleganti orazioni tra cui quella per l'assunzione al pontificato di Clemente XIII, e moltissimi epigrammi ed elegie seguendo Tibullo e Catullo; tradusse inoltre Teocrito e gli epigrammi dell'Antologia greca. Ma il suo capolavoro è la traduzione latina dell'Iliade, certamente la migliore del genere (Roma 1776), i cui esametri, foggianti sui virgiliani, conservano tutta la maestà e lo splendore del verso greco. [...] E(leonora) Zu(liani).

² W = F. A. Wolfi *Summaria*.

Descendit; non ille arcus, pharetramque decoram
 Oblitus, non tela; humero quae mota sonabant,
 Turbidus obstantes lapsu dum trajicit auras.
 65 Ut venit, classi adversus consedit, & acrem
 Contenditque arcum torvus, celeremque sagittam
 Expulit; inde aliam atque aliam. striduntque, volantque

[I 73–163 = Alpha 53–129.

W: Habet concionem Achilles ob placandum deum, in qua Calchas vates calamitate eos levatum iri reducenda Chryseide censet, auctore imprimis Achille.]

Tela novem cecidere dies: lux extulit ortum [53]
 Ut decima, in coetum vocat omni a litore Grajos
 75 Pelides, magnae monitu Junonis: Achivum
 Quippe vicem curans morientum diva dolebat.
 Nulla mora; Aeacidae jussu venere frequentes
 Argolici proceres, Danaumque exercitus omnis.
 Quos inter surgens heros ita farier orsus:
 80 Atrida, ut video, Troja Phrygibusque relictis, [59]
 Errandum rursus pelago, vitandaque fata;
 Si qua tamen fessis dederit fortuna regressum.
 Nam simul heic bellumque luesque absumit Achivos.
 Verum age, nunc aliquem, seu vates ille, sacerdos
 85 Sive fuat, somnive interpres, (somnia namque
 Ipse deum caelo genitor demittit ab alto)
 Oremus pandat, cur saevit Phoebus Apollo?
 Num prece, neglectus, sacro aut succenset omissio?
 Num pingui nidore ovium, pecorisque piatus
 90 Caprigeni, tristes ponet placabilis iras?
 Talia Pelides: contra cui talibus inquit [68]
 Calchas Thestorides; quo non praestantior alter
 Augurio divum mentes, atque abdita rerum
 Pandere. scit vates fato quaecumque trahuntur,
 95 Quae sunt, quae fuerunt; Phoeboque acceptus & idem
 Lectus, ad Iliacas classem qui duceret oras,
 Captaretque auras augur, cursumque doceret:
 Nempe jubes, regi superum gratissime Achilleu, [74]
 Fatidicis iram Phoebi me pandere dictis.
 100 Pando equidem: divum sed tu mihi numina sancta
 Jura, quidquid erit, verbis, dextraque futurum
 Auxilio. Grajis qui maximus imperat, unum
 Quem populi observant regem, non auribus aequis
 Audiet haec. capiti exitium rebusque ruinam
 105 Comparat ille suis, regum qui concitat iram
 Deterior; regum ira latet sub pectore, donec
 Erumpat se, nacta locum, tempusque nocendi.
 Ergo age, dic, num quis me laedet vera loquentem,
 Parentemque tuis, Danaum fortissime, jussis?
 110 Aeacides contra; Fide, inquit, pelle timorem, [84]
 Quisquis inest animo; fretus me vindice, nosti
 Augurium quodcumque, refer, testis mihi Phoebus;
 Quem tibi rite vocas; Grajis quo afflante futuros
 Eventus aperis, mentemque, & fata deorum;
 115 Donec ero, vescarque auris vitalibus usquam,
 Nullus erit, qui te violet, dextramque scelestus
 Impune attollat contra: non, dixeris ipsum
 Si regem, imperio cunctis qui pr[a]estat, Atriden.

[I 164–422 = Alpha 130–348a.

W: Ita irritatus Agamemno atrociam jurgia nectit cum Achille; et Chrysaë quidem filiam reddere non recusat, sed illi, quod praemium virtutis retulerat, Briseidem eripit, quamvis obnitante Nestore. Interea (I 382–388 = Alpha 312–317) publice lustrantur exercitus, et sacra fiunt Apollini.]

Tum sic Atrides: Nequidquam vana per artem [130]
 165 Moliris, Pelida, dolis & cuncta videntem

Tela Dei, horrendumque argenteus insonat arcus.
 Principio celeresque canes, montanaque stravit [50]
 70 Jumenta; hinc ipsos jaculis incessit acutis,
 Funera funeribus cumulans; semperque recenti
 Igne pyrae latos passim fulsere per agros.

Sic animo est vatis pulsus timor. ergo ita fatur: [92]
 120 Non prece, non sacro succenset Phoebus omissio.
 Ille sacerdotem propter furit; his Agamemnon[,]
 Quem foede castris exegit, nec dedit orbo
 Dilectam patri gnatam; nec dona recepit
 Ferreus. hunc propter saevit deus, & magis idem
 125 Saeviet, ille luem nunquam, nec funera fessus
 Mittere, ni patrios repetat formosa penates
 Chryseis, donisque auctus, nataque recepta
 Placatus genitor, taurorum sanguine multo
 Ipse deum exoret, coeptas ne proferat iras.
 130 Talibus orantem torvo Pelopeius heros [101]
 Lumine spectabat: mens ira exaestuatur, acres
 Horrendum micuere oculi, turbataque frons est.
 Tum vatem increpuit, rupitque has pectore voces:
 Terrorum infelix vates, laetabile nunquam [106]
 135 Quidquam ego te audiero, semper sed voce canentem
 Dira triste aliquid? nam me saevis tua dictis
 Perpetuo immeritum laedunt responsa, nec unquam
 Meve, meosve juvas vel verbo, perditae, vel re.
 Et nunc vaticinans irato haec funera Phoebos
 140 Missa canis genti Danaum, dimittere captam
 Quod non sustinui Chryseida. quippe Mycenis
 Optabam nostros coleret captiva penates;
 Illa Clyt^a-emnestra melior, quam corpore, mente
 Quam celeri longe praestat, manuumque labore.
 145 Nec tamen abnuero, si rerum pendet ab illa [116]
 Certa salus, Chrysam duci, reddique parenti:
 Nec populi exitio laetor, dirisque meorum
 Funeribus; contra sed vos mihi digna parate
 Praemia confestim; donis ego solus Achivum
 150 Ne caream, nam quod mihi muneris obtigit, ecce
 Dilapsum fluit e manibus longaeque recedit.
 Vix ea fatus erat, paribus cum diu Achilles [121]
 It contra dictis, & magno haec pectore fatur:
 Inclyte rex Atride, animo qui tantus habendi [122]
 155 Gliscit amor? praedae non ulla intacta Pelasgis
 Pars superat. victis quae capta ex urbibus olim,
 Partiti ad naves tulimus, sua quisque laboris
 Exiguum ingentis pretium; nec didita castris
 Cogi iterum, partemque tibi deducier aequum est.
 160 Verum age, poscenti Phoebos concede puellam:
 At nos tergemini aequi pensabimus olim
 Jacturam donis, si quando Jupiter urbe
 Annuat Iliaca tandem, gazaque potiri.

Fallere vis tectis. partis tu nempe fruire
 Dives? ego famula doleam fraudatus adempta:

- Audi ergo, & mea dicta memor sub pectore conde.
 Vel mihi pro rapta dignum Chryseide munus
 170 Sponte dabunt Graji, dare vel si forte recusent
 Sponte sua, veniens alta ad tentoria, dona
 Vel tua, vel Telamoniadae, vel fortis Ulysssei,
 Ipse abigam, quoquo veniam, contendere nemo
 Audebit, metuensque mali mussabit inultus.
 175 Attamen haec alias disquiri praestat: in aequor [140]
 Nunc potius curvo deductam litore puppim
 Remigio aptemus: conscendat gnataque, gnatae
 Et quas adventu laetus, donisque sacerdos,
 mactet oves Phoebo, pestemque avertat Achivis.
 180 Dux eat Idomeneus, Ajaxve, aut dius Ulysses;
 Vel tu, si cordi est, rerum saevissime Achilleu,
 Duc ipse; atque, deo sacris de more solutis,
 Exora pacem Danais, rebusque salutem.
 Talibus ille: tuens quem dudum lumine torvo [148]
 185 Pelides: Nam quis, rerum foedissime, posthac
 Te Danaum regem ferat, ac tua jussa capessat;
 Sive iter indugredi jubeas, sed tendere in hostem?
 Non etenim huc veni Teucrorum laesus ab ullo;
 Nec mihi Dardania quisquam de gente juvencos,
 190 Pascentesve avertit equos, vel tempore in ullo
 Frugiferos Phthiae viduavit fructibus agros.
 Iliacis namque a muris Phthiotica longe
 Regna jacent: medii montes, immensaque ponti
 Aequora. te propter patriam, carosque penates [158]
 195 Liqui amens; quaeroque meo tibi sanguine laudem
 Vesanus, fratrique tuo. tu cuncta ferentem
 vos propter, quidquam nec curas, nec facis hili:
 Quaeque labor longus peperit mihi, quaeque dedere
 Grajugenae merito, rapturum dona minaris.
 200 Dona tuis non aequa tuli, nec dives abibo
 Aequae olim, tandem captae cum moenia Trojae
 Vastarint Danai. duri pars maxima belli [165]
 Usque meis geritur manibus: cum denique laeti
 Congestas partimur opes, tibi maxima praedae
 205 Pars cedit; magnis ego quae mihi parta periclis
 Obvenit merces, abeo parvamque, meoque
 Gratam animo portans ad naves, membra labore
 Fractus adhuc, saevi longo & certamine Martis.
 At nunc, quod satius multo est, te, ingrante relicto,
 210 Cum sociis, armisque, aerata & classe per altum
 Vela dabo; nec me indecorum tua castra videbunt
 Digna, indigna pati, frustra & bellare rapacis
 Ludibrium Atridae. Quae postquam talia fatus [172]
 Pelides, contra tumido Pelopeius ore:
 215 I, classem committe auris, ventoque ferente
 Carpe fugam quavis; nec te moror, aut prece mens est
 Ambire ut maneat. qui me observentque, juvenque
 Sunt alii mecum fortes, praeque omnibus aequus
 Juppiter. I; mihi te nemo est infensor unus
 220 Regibus e cunctis: cui semper jurgia cordi,
 Rixaeque, pugnaeque. acer quod Marte feroci
 Praestas, parce tumere; Dei sunt omnia munus.
 I, puppesque tuas tecum, pubemque tuorum
 Duc sedes longe ad patrias, regnaque per urbes
 225 Myrmidonum: nec te curo jam scilicet hilum,
 Nec metuo iratum. quin hoc ambage sine ulla
 Praedico: mihi formosam Chryseida Phoebus [182]
 Quando aufert; puppique mea deducta, meoque
 Remige mittetur: verum Briseida pulchram
 230 Ipse, tuum munus, per vim tentoria ad alta
 Rapturus veniam; noscas ut denique, Achille
 Atrides quanto melior sim; nec minus alter
 Horreat aequalem mihi sese attollere contra.
 Sic ait: indoluit Pelides, atque sub hirtio [188]
 235 Pectore consilium partes versabat in ambas.
 Num femori haerentem gladium dstringat, & acer
 Disturbetque viros circum, regemque trucidet;
 An premat indomito gliscentem corde furorem.
 Talia versanti secum, magnaue trahenti [193]
 240 Fulmineum vagina ensem; delapsa per auras
 Advenit caelo Pallas, quam regia Juno
 Misit, amansque ambos, & curans diva; retroque
 Adstitit, injecitque manum flavaqueprehendit
 Caesarie, mediis manifesta in millibus uni.
 245 Horruit, intremuitque artus, & lumina flexit
 Versa retro admirans Pelides; nec mora divam
 Agnovit fulgentem oculos; ac talia fatur.
 O Jovis aegisoni proles, dea, cur mihi, cur nam [202]
 Venisti? an dantem ut videas jura omnia pessum
 250 Atriden? sibi qui factis (non irrita jacto
 Verba) sibi exitium factis struit ipse superbis.
 Haec heros; blandis cui sic Tritonia verbis. [206]
 Diva modum positura tuo, Pelida, furori,
 Si parere voles, veni huc delapsa deorum
 255 Sedibus e superis, missu Junonis amore
 Quae vos aequa pari spectatque, & curat utrumque.
 Ergo age, parce gravi rixae; neve extrahe ferrum:
 Dic potius, quot erunt, saevis convicia verbis.
 Hoc tibi praedico vates non vana; futurum
 260 Tripla tibi ut quondam pro tali praemia noxa
 Ultra adsint; nunc parce, meis neve abnue dictis.
 Sic dea; sic placidis respondit vocibus heros: [215]
 Vestra quidem, superi, faciendum est jussa: calescant
 Corda licet furiis, praestat parere tamen dis.
 265 Qui divos audit, divis auditur & ipse:
 Talibus ille deam alloquitur, pulchroque tenebat [219]
 Ingentem in capulo dextram: dein impulit ensem
 Horrendum retro, vaginaque abdidit alte,
 Praesenti nequaquam ausus non cedere divae.
 270 Ergo tecta Jovis Pallas, divumque petivit
 Concilium: Atridae rursus maledicere coepit
 Pelides, fuditque irato haec turbidus ore:
 Vino plene, canisque oculos, cervique fugacis [225]
 Corda gerens, nunquam cum pube ad praelia, nunquam es
 275 Ausus ad insidias cum primis ire virorum.
 Quippe putas mortem, belli tentare pericla.
 Multo etenim praestat Danaum per castra, vel uno
 Si quis te laesit verbo, mutireque contra
 Est ausus, grassari odiis, pretiumque laboris
 280 Eripere, & praedae quidquid virtute paravit.
 Rex populi haud pastor, sed foede vorator. inertes [231]
 Inter enim regnas: quod ni foret, haec foret hercle
 Nunc illata tuae postrema injuria genti.
 Sed tibi praedico, regumque & violabile nulli
 285 Jusjurandum addo. sceptrum hoc regale, quod umbras
 Et virgulta unquam non fundet, stirpe recisum
 Ut semel est, posuitque comas, & brachia ferro,
 Olim arbos, auro inclusum gestamen Achivi
 Nunc manibus versant reges, queis Jupiter auctor
 290 Servandasque dedit leges, dicendaque jura:
 Hoc ego nunc testor sceptrum regale, futurum [239]
 tempus cum Danaum nemo non optet Achillem;
 Cum nequeas rebus lapsis, Atrida, levamen

Ferre ullum, frustra moerens, ubi milia passim
 295 Leto multa dabit ferus Hector, strataque ferro
 Corpora acervatim campis confusa jacebunt.
 Tunc tristes tibi discerpent praecordia curae,
 Tunc te damnabis frustra, seroque pigebit
 Contempsisse virum, qui, Mars ubi praelia miscet,
 300 Optimus in cunctis pugnat bellator Achivis.
 Sic ait; eque manu auratis fulgentia bullis [245]
 Sceptra solo iratus projecit; sedit at ipse
 Turbidus. Atrides contra furit asper, acerbus,
 Dira fremens. Horum medius tum, sede relicta,
 305 Exsurgit Nestor, Pyliae rex gentis, & auctor
 Consilii sapiens, cui vox manabat ab ore
 Suaviloquo jucunda, ipso dulcis mage melle.
 Huic duo secla virum, quos inter natus & altus
 Ille Pylo in sacra fuerat, jam condita dudum
 310 Desierant, aetas haec ibat tertia regi.
 Qui bonus ambobus prudenti haec pectore fatur:
 Pro superi! tibi quantus adest jam Graecia luctus! [254]
 Gaudebit certe Priamus, natiq̄ue, Phrygumque
 Turba omnis tota exsultans laetabitur urbe,
 315 Audierit si vos, Grajum duo lumina, primos
 Consilioque manūque, odia exercere, molesta
 Et rixa implicitos jurgari mutua: verum
 Audite, atque seni laeta parete minores
 Mente ambo, versatus ego sum namque viroꝝ
 320 In coetu quondam virtute ac robore vobis
 Praestantum longe, nec me sprevere monentem.
 Nullum quippe virum vidi, nullumque videbo, [262]
 Qualem Pirithoum regem, regemque Dryanta,
 Caeneaque, Exadiumque, deoque parem Polyphemum,
 325 Theseaque Aegiden formaque, & viribus aequum
 Caelitibus. nemo his fuit usquam fortior omni
 Terrigenum in numero. fortes cum fortibus arma
 Contulerunt, fretique animis bella aspera contra
 Montanas gessere feras, & Pelio in alto
 330 Nubigenas dira straverunt caede bimembres.
 His ego tunc; ipsi namque ultro in bella vocarunt; [269]
 Ex Apia, atque Pylo veni comes; atque virili
 Pugnabam pro parte hosti, non audeat ullus
 Cui pugnare hominum, vestra haec quos extulit aetas.
 335 Ille virum me flos audibat saepe, meisque
 Parebat monitis: hortanti, & vera monenti
 Vos quoque nunc parete, oro; quod prosit utriq̄ue.
 Nec tu, Atrida, potens quamvis magnusque, puellam
 Eripe, donarunt olli quod munus Achivi:
 340 Nec tu, Pelide, regi contende; parem rex [277]
 Sceptrifer haud etenim est aliis sortitus honorem;
 Cui decus ipse dedit magni regnator Olympi.
 Si te diva parens genuit, si Marte feroci
 Hunc vincis, regno vincit, pluresque coerct
 345 Imperio ille tamen. dirum at compesce furorem
 Tu prior, Atride. Peliden, ponat ut iram,
 Ipse orans flectam precibus; qui murus Achivum
 Est genti saevi contra discrimina belli.
 Haec senior. tum sic Atrides: Vera, nec ulli [285]
 350 Non laudanda, senex, dicis; verum efferus iste
 Exsultatque animis, vultque omnibus altior unus
 Ire aliis, fraenare omnes, ac ducere quovis,
 Regna tenens. Frustra sperat sed talia Grajos
 Posse pati. duri fortem ad certamina belli
 355 Quod fecere illum faciles di, saeva profari
 Idcircone sinunt stulta convicia lingua?

Jactantem haec celer est sic interfatus Achilles: [292]
 Imbellis fuerim, & nihili, quaecumque loquare,
 Cervorum in morem tua si praecpta facessam.
 360 Quaere alios, quibus imperites, faciendaque mandes
 Ore minax torvo. tua jam nec jussa veretur
 Pelides, regique negat parere superbo.
 Hoc tibi praeterea dico, tu pectore dictum
 Conde memor: certum est pro sola nolle puella
 365 Vel te, vel quemquam contra pugnare, dedistis
 quandoquidem quae dona, eadem nunc tollitis ipsi.
 Sed, quae multa mihi congesta in puppibus altis [300]
 Sunt alia, invito ne quis me attingere, clamo,
 Audeat. aut agedum conare, Atrida, periculum
 370 Et facito, ut noscas rem tuque, & cetera Grajum
 Turba omnis. mora nulla, tibi latus hauriet imum,
 Atque tuo tepefacta fluet mea sanguine cuspis.
 Haec ubi jactarunt saevis mala jurgia dictis, [304]
 Surrexere ambo, coetuque abiire soluto.
 375 Pelides graditur celsa ad tentoria, regem
 Patroclo ac densa comitum stipante caterva.
 Atrides celerem deducit litore puppim,
 Remigioque legit bisdenos, robora pubis
 Argivae: tum dona deo portanda carinae
 380 Imponit, pulchramque una Chryseida ducens
 Ipse locat, prudens dux puppim scandit Ulysses.
 Illi alacres pellunt certantibus aequora remis; [312]
 At jussu Atridae lustrat se cetera pubes,
 In salsum & sordes abstergens dejicit aequor.
 385 Tum Phoebō mactant procurvo in litore passim
 Caprigenumque pecus, praestanti & corpore tauros,
 Imponuntque aris. late se fumida nubes
 Attollit, mixtusque altas it nidor ad auras.
 Talia dum celerat castris Argiva juvenus, [318]
 390 Atrides, nondum pacato corde minarum
 Immemor, Eurybaten compellans, Talthybiumque,
 Praecones ambo, celeresque ad jussa ministros;
 Ite, ait, actutum celsa ad tentoria saevi
 Aeacidae, atque manu Briseida ducite. jussus
 395 Nam dare si renuat, fuerit quod acerbius, ipse
 Majori veniam numero comitante meorum.
 Sic ait; hi regis non mollia jussa facessunt; [326]
 Moerentesque ibant propter mare, donec ad altas
 Myrmidonum puppes, & septa ingentia magni
 400 Pelidae venere. illic videre sedentem
 Pro foribus juvenem tentoria ad ipsa, suaque
 Non longe a puppi. venientes vidit Achilles,
 Agnovitque, animoque haud est laetatus. at illi
 Magnanimum veriti regem, & formidine mentem
 405 Suspensi, effari nihil ausi, nilque rogare,
 Stabant. his, gelido percultos namque pavore
 Sensit, Pelides haec miti pectore fatur:
 Praecones salvete deumque hominumque sequestres; [334]
 Huc propius me ferte pedem. non vestra, tyranni
 410 Culpa sed est, duci sibi qui Briseida saevus
 Imperat. En age, quam poscit, Patrocle, puellam
 Educ ipse foras, ducendam & tradito: at este
 Ipsi olim testes coram dis, quidquid & usquam
 Est hominum, coramque immiti rege; cruentam
 415 Grajorum ob cladem nostri si venerit usus.
 Demens quippe ruit vesana mente, nec ante
 Quid fuerit, nec quid venturum prospicit, olli
 Salva rates juxta pubes ut pugnet Achivum.
 Sic ait: at dicto paret Patroclus amici, [345]

420 Formosamque foras ducens Briseida, tradit.
Illi abeunt rursus ad naves; invitaque flensque

[I 423–515 = Alpha 348b–427.

W: Hac incensus injuria statuit acer juvenis se cum Myrmidonibus a belli societate sejungere: quod propositum a matre ejus Thetide confirmatur, quae et supplicanti ultionem promittit.]

Tum vero moerens lacrimas effudit Achilles, [348]
Et longe a sociis digressus litore in ipso
425 Consedit pontum adspectans, palmasque tetendit,
Et caram tali est affatus voce parentem:
Mater, ad angusti spatium cui scilicet aevi [352]
Sum genitus, claro saltem decorasset honore
Me pater alititonans: miserum nunc despicit, ullam
430 nec tribuit partem decoris. majoris Atridae
Ludibrium heic jaceo; mea praemia rapta superbus
Ille habet. Hos alto rumpebat pectore questus, [357]
Perque genas ibant lacrimae sine more fluentes.
At mater, specubus quae tunc, ut sueta, sedebat
435 In patriis, gemituque audito exterrita surgit;
Et summo, nebulae similis, tenuique vapor,
Emersit fluctu, seditque in litore gnati
Ad latus, atque manu flentem permulsit amica.
Tum roseo, blande compellans, ore locuta est:
440 Quid fles? quis menti subitus dolor incidit aegrae? [362]
Dic age, dic, caram nec cela, nate, parentem.
Ille refert, imo gemitum de pectore ducens:
Scis, mater, scis ipsa. jubes quid nota profari [365]
Nequidquam? Thebas, sacram sedem Eetionis,
445 Venimus, & captam bello vastavimus urbem.
Praeda ingens, vecta huc ad naves. inter Achivos
Rite fuit divisa omnis. Chryseida forti
Exemptam dedimus majori munus Atridae.
Dein Chryses, Phoebi curat qui templa sacerdos, [370]
450 Advenit Grajum ad naves ingentia secum
Dona ferens, natae pretium, vitamque precantum
De more implicitam sceptro gestabat, & omnes
Ambibat precibus Grajos; geminosque rogabat
Praecipue Atridas, rerum queis tradita summa est,
455 Dicta senis Graios flexere; sacrique verendam
Canitiem capitis, capiendaque dona fremebant.
At non Atriden precibus, non vincere fletu [378]
Evaluit. Miseri lacrimas ferus ille parentis
Increpuit; castrisque actutum excedere jussit
460 Multa minans. tristi senior tum percitus ira
Retro abiit: Phoebus Danais quem dira precantem
Audiit, atque luem fatali turbidus arcu
Immisit foedam populis. condensa jacebant
Corpora acervatim nigro manantia tabo;
465 Saeva dei totis volitabant spicula castris.
Inde, malae ut cladis veraci pectore caussam
Fatidicus vates, Phoebos monstrante, retexit;
Primus ego coetu in Danaum, quem rite vocaram,
Placarique deum jussi, reddique puellam.

[I 516–582 = Alpha 428–487.

W: Chryseis domum reducitur una cum hostiis piacularibus, quibus mactatis scelus expiatur.]

Sic ait, eque oculis dilapsa evanuit, aegrum, [428]
Iratumque animi linquens, demptumque furentem
Ob decus, & raptam forma praestante puellam.
Interea Laertiades mactanda ferebat [430]
520 Dona deo, & Chryseae ad sacras pervenerat oras.
Curva ubi se portu primum ratis intulit alto,
Vela legunt, mediaque locant composita carina:

It mulier, lento figens vestigia gressit.

Atrides dirum intremuit, surgensque minatus [387]
Est mihi, quae doleo nunc jam perfecta. parenti
puppe cava Chryseae gnatam delecta juvenus
Argivum ponto ducit, mactandaque Phoebos
Dona vehit; nostrum gemini, Briseida, munus
475 Praecones duxere modo ad tentoria regis.
Verum age nunc, siquod potis es, tu sedula proli
Auxilium fer diva tuae. caelestia scandens
Tecta Jovem exora supplex, tibi Jupiter unquam
Si dicto est ullo, factove adjutus. in aede [396]
480 Jactantem patria nam saepe audisse recordor,
Te solam e superis dirum avertisse Tonanti
Exitium, cum vincla olli di, vimque pararent,
Neptunus pater, & Juno, & Tritonia Pallas:
Solam atrox turbasse nefas, subitoque vocasse
485 Centimanum, divi Briareum quem nomine dicunt,
Aegeona homines. advenit, robore patrem
Ille suum praestans, multo qui laetus honore
Caelicolas inter magna in Jovis aede sedebat.
Hunc veriti abstiterunt coepto di; vincla trementum
490 Excussa e manibus, libertas parta Tonanti est.
Haec memora juxtaque sedens, amplexaque supplex [407]
Gena dei; si forte velit Troasque juvare
Et Danaum ad celsas pubem compellere puppes
Litus in extremum, caesam, foedeque fugatam;
495 Cui parent, omnes praeclaro ut rege fruantur;
Utque malo ingenti doctus jam noscat Atrides,
Et doleat noxam; laeva quod sprevit iniquus
Mente virum, in cunctis cui par non ullus Achivis.
Haec ille: haec lacrymis contra Thetis alma profusis: [413]
500 Cur laevo genitum te, gnate, miserrima fato
Eduxi? cura vacuus, nec laesus ab ullo
Saltem ageres heic ad naves, cui tam prope vitae
Di finem posuere. brevi nunc, o miser, aevo es,
Moestior & cunctis, curisque infestior aevi
505 Hoc quodcumque trahis, Parcis heu natus iniquis.
Ibo equidem aetherei praecelsum ad culmen Olympi,
Atque Jovi, quae vis, fabor, si flectere possim.
Interea tu, nate, cavis ne abscede carinis, [421]
Iratumque sede Grajis, nec proelia tenta.
510 Hesternus, divum coetu stipante, remotos
Oceani ad fines abiit conviva bonorum
Jupiter Aethiopum: bisseua luce redibit
Sidereae caeli ad sedes. tunc ardua scandam
Tecta Jovis, genibusque advolvar: verba precantis
515 Irrita nec cedent, ni spes me ludit inanis.

Funibus hinc malum demittunt, atque paratam
Reclinant apte in sedem; celerique per undas
525 Remigio tuta sese statione reconduunt.
Anchora tum jacitur, firmant retinacula puppim. [436]
Optatum in litus juvenum manus emicat: inde
Exponunt laeti pecudes, Phoebeia dona,
Et pulchram ad patrias ducunt Chryseida sedes:

530 Ipse manu sacram Phoebi quam sistit ad aram,
Atque patri, ut iussus, tradens haec fatur Ulysses:
Huc me, Chrysa, virum regnator misit Atrides, [442]
Et iussit gnatamque tuam tibi ducere, Phoebos
Et facere, ac placare deum, qui concitus ira
535 Saevit, & ingenti luctu demergit Achivos.
Sic ait; inque manus patri dat: suscipit ille [446]
Gaudens, ac tremulis oblatam amplectitur ulnis.
Interea pulchram juvenes ex ordine ad aram [447]
Mactandas statuunt pecudes, & flumine puro
540 Perfudere manus, spargendaque farra tenebant,
Atque salem. Chryses ambas ad sidera palmas
Sustulit, ac senior sic magna est voce precatus:
Audi haec arcitenens, praesenti numine Chrysam [451]
Qui regis, ac Tenedum, Cillamque. haud vana precantem
545 Et prius audisti, mihi laudem, tristia Grajis
Damna ferens, & nunc audi, finemque malorum
Da, pater, ac pestem Danais averte nefandam.
Sic ait; atque deum non cassa in vota vocavit. [457]
Graji etiam fudere preces, veniamque rogarunt.
550 Tum fruges jaciunt salsas; cervice reflexa
Dein sacras jugulant pecudes, ac tergora costis
Deripiunt, ferroque secant femora, atque plicantes
Omento involvunt pingui, supraque resecta
Omnibus e membris imponunt frusta: sacerdos
555 Quae sacris adolet flammis, rubicundaque fundit
Vina: gerunt juvenes hinc atque hinc viscera quino

[I 583–643a = Alpha 488–533a.

W: Thetidi jam Olympum adeunti Jupiter occulte annuit, victores in proeliis fore Troianos, donec Achilli ab Achivis satisfactum fuerit.]

Magnus at ingenti Pelides turgidus ira [488]
Myrmidonum ad naves secreta in parte sedebat,
585 Non coetus Grajum visens, non praelia; tristi
Sed lacerans animum cura, pugnaeque videre
Implicitos durae cupiens discrimine Achivos.
Jamque adeo duodena Eos processerat amne [493]
Oceani, Aethiopum linquentes regna redibant
590 Sideream divi ad sedem. rex Jupiter ante
Incedit, subeunt alii, patremque caterva
De more ingenti celsa intra limina ducunt.
Nec Thetis est oblita preces, mandataque gnati;
Caeruleo at fluctu emergens festina supremi
595 Aerium per iter culmen conscendit Olympi
Mane novo. Heic coetu divum secretus ab omni
Jupiter in summa caeli regione sedebat.
Quem Thetis ut solum nacta est, contraque, profuso
Ora madens fletu, sedit, laevamque, precantum
600 More, manum apposuit genibus, dextramque sub imum
Suppliciter mentum admovit; dehinc talia fatur.
O pater, o divum rex; inter numina juvi [503]
si te unquam verbo, vel re; da, magne, precanti
Quod cupio, durusque meos ne despice fletus.
605 Da, meus in Danais per te clarescat Achilles,
Quem citus heu dulcis vitae manet exitus; omne
Cui ferus Atrides misero decus abstulit, &, quae
Pulchra viro dederant virtutis praemia Graji,
Eripuit, fas & contra sibi vindicat omne.
610 At tu nunc, genitor, sarcis quod laudis ademptum est
Insonti; atque favens Trojanis annue palmam
Usque, meam donec prolem tot cladibus acti
Grajugenae donis cumulent; largoque rependant

Fixa veru. postquam flammis femora usta, frequentes [464]
Tosta igni postquam gustarunt viscera ad aram;
Secta minutatim fixerunt cetera longis
560 In veribus, curantque dapes, laetique paratis
Vescuntur, structisque agitant convivia mensis.
Postquam exempta fames, amor & compressus edendi est [469]
Crateras pueri statuunt, & vina coronant,
Inque orbem cyathis haustum tribuere liquorem.
565 Pota dehinc pubes laetum paeana canebat,
Tota & luce sacro celebrabat carmine Phoebum,
Placabatque iram certo jaculantis ab arcu.
Audibat, largoque deus gaudebat honore.
Interea aequoreas currum Sol condit in undas, [475]
570 Et nigris terram involvit Nox atra tenebris.
Somno illi ad curvam sese stravere carinam.
Inde, ubi purpureo veniens processit ab ortu
Aurora, excedunt portu, cursumque capessunt
Ad socios. auram Phoebus pater ipse ferentem
575 Adspirat. laeti malum arrexere, sinusque
Velorum niveos pandunt; tum carbasus austro
Inflatur, proram subter fremit unda, liquentes
Uncta vias currit, fluctu cedente, carina.
Ast ubi venere ad socios, Argivaque castra [484]
580 Ingressi, curvo subducunt litore puppim,
Longaque supponunt firmo de robore fulcra,
Dilapsique abeunt sua quisque ad septa, ratesque.

Foenore, quod nunc flet raptum, decus. Haec ait alto [511]
615 Cum gemitu. reddit nil contra Jupiter; haeret
Sed tacito immotus vultu. cunctatur & ipsa,
Genua tenens arcte, semel ut complexa, nec usquam
Est potis avelli; roseoque haec subjicit ore:
Jam mihi vel sponde, pater, & bonus annue, contra [514]
620 Abnue vel tandem, (nam quis metus?) hoc ego saltem
Infelix ut nosse queam, quam gratia nostra
Sit levis, inque deis quam negligat omnibus una.
Ingemuit pater; &, Cur me, dea, tristia cogis [517]
Moliri nunc facta, inquit, cum conjuge & iras
625 Exercere? malis quae me vesana lacesset
Actutum verbis; mihi quae convicia divis
Saepe facit temere in mediis, queriturque juvare
Quod soleo immeritos dura inter praelia Teucros.
Quin tu, oro, has, videat ne te Saturnia, sedes [522]
630 Linque domum rediens: curae mihi scilicet ista
Res erit: haud patiar frustra me, diva, rogatum.
Haec adeo, ne forte meis diffidere verbis
Incipias, moto firmabo vertice dicta.
Haec mihi namque fides verborum est maxima fanti
635 Caelicolas inter: moto quod vertice cumque
Annuro, immotum stat nec revocabile, donec
Pollicitum impleverint maturo tempore Parcae.
Sic ait, & capite atque oculis pater annuit: aliam [528]
Ambrosius fluxit per frontem & regia crinis
640 Tempora: contremuere arces, & culmina Olympi.
His actis, ambo digressi. diva profundum
Desilit in pontum: caeli de vertice summo
Jupiter ingressus tectum est regale.

[I 643b–680 = Alpha 533b–567.

W: Junonem, infestam Troianis, pungunt haec clandestina consilia; inde rixatur cum Jove super coenam.]

parenti [533]
Assurgunt divi confestim e sedibus omnes,
645 Nec quisquam est ausus venienti haud obvius ire.
Tum solio medius consedit. regia Juno
(Vidit enim furtim secreta in parte loquentem
Cum nympha quiddam Nereide) talibus audax
Orsa Jovem dictis incessere: Nectere fraudes [540]
650 Docte, deum quisnam tecum est congressus, & una
Sedit? quidve doli struitis? cur me omnia celas,
Consiliumque capis semper sine conjuge, nec, quas
Mente foves, rerum pateris ne noscere quidquam.
Sic Juno; ast hominum contra pater, atque deorum: [544]
655 Diva, meo verso quaecumque in pectore, pandi
Si vis cuncta tibi, ludet spes te irrita; prosit
Nec tibi quod conjux mea diceris. omnia sciri
Quae decet, haec prae te nemo divumque, hominumve
Noverit: at divos quae celans molior, haec tu
660 Omnia nequidquam scitari & quaerere parce.
Huic amplius veneranda oculis Saturnia: Nam quid [551]

Est opus, o conjux, tam dura & saeva profari?
Et nimium quidquam nec scito, nec tua scrutor.
Moliris nullo contra pugnante, parasque
665 Securus quodcumque lubet, sed, candida blandis
Aequorei te nata senis ne ceperit actum
In fraudem verbis, metuo. nam vafra sedenti
Asseditque, genu & flens est amplexa; deaeque
Pollicitus, credo, es clarum decus addere Achilli,
670 Multa dare ad puppes Grajorum & milia leto.
Huic genitor, nutu caeli qui nubila cogit: [560]
Juno, nihil tu non conjectas; fallere nusquam
Te possum. at quid ages aliud tamen, improba, ni te
Ut magis averser? triste ut tibi stulta periculum
675 Arcessas? nam, si vera istaec fare, voluntas
Quod mea fert, facio non ulli obnoxius. at tu
Jurgari jam parce, sedens & comprime vocem,
Atque meis pare dictis, ne quotquot Olympum
Divi habitant miserae nil prosint, si tibi saevas
680 Injiciam gliscente manus male percitus ira.

[I 681–732 = Alpha 568–611.

W: Contristatur omnis consessus deorum, quos tandem ad hilaritatem reducit Vulcanus.]

Haec pater: illa metu pectus conterrita sedit, [568]
Nil contra mutire audens, iramque sub alto
Ingentem, & saevos compescens corde furores.
Cuncti una patriam divi ingemuere per aedem.
685 At matri cupiens Vulcanus demere curam, [571]
Caelicolis haec in mediis ita farier orsus:
Quis probet haec autem? vel quis ferat esse deorum
Hanc tantam primis rixam pro gente pusilla
Terrigenum, & subito misceri cuncta tumultu?
690 Haec inter quem laeta juvent convivia, largae
Atque dapes; quando vincunt pejora? parentem,
Illa quidem per se quamquam sapit, attamen ipse
Hoc moneo: patrem contra ne pugnet, at iram
Obsequio vincat; verbis ne rursus acerbis
695 Saeviat, ac nobis epulas & gaudia turbet.
Quippe etenim, si forte velit, nos sedibus altis [580]
Deturbare poli possit, qui vi anteit omnes
Horrendumque ciens tonitru, & flammantia torquens
Fulgura. Tu, Genitrix, verbis placare minacem
700 Blanda para: facilis flecti est; placidusque bonusque
Continuo fiet, nec tristes proferet iras
Longius. Haec dicens surgit de sede, rotundum
Inque manus cyathum matri dedit, atque ita fatur.
Quidquid id est, mater, ferto aequa mente, molestum [586]
705 Sit licet, hic videam scissam ne forte pudendis
Verberibus, nec opem possim tibi ferre vocanti

Auxilium; frustra sed cogar flere. Tonantem
Haud facile est magnum contra contendere vires.
Et quondam, memini, mater, tibi ferre volentem
710 Auxilium, arripuitque pede, & jaculatus ab alta est
Aede procul. tota, quam longa est, luce ferebar
In praeceps longe magnum per inane. cadente
Sole, super Lemnum cecidi. excepere benigne
Sinties infractumque artus, animamque trahentem
715 Vix aegre tenuem. Sic fanti maxima Juno [595]
Arrisitque, oblata manu nec pocula sprevit.
Tum dextra exorsus magno e crateri deabus,
Atque deis haustum miscebat nectar: at ingens
Continuo risus longi et sonuere cachinni,
720 Ut claudum videre deum fragrantia ferre
Pocula, festinumque amplas cursare per aedes.
Sic tota pariter celebrant convivia luce [601]
Solis ad occasum laeti, dapibusque fruentes,
Auratae & strepitu citharae, quam pulcher Apollo
725 Pulsabat, cantu & Musarum alterna canentum.
Verum ubi se clari solis jubar abdidit alium, [605]
Consurgunt mensis, coetuque ad tecta soluto
Quisque sua abscedit somno gravis, aurea cuique
Olim solerti quae fecit Mulciber arte.
730 Ipse etiam ad thalamum, dulci laxare quiete
Membra ubi consuerat, processit Jupiter, & se
Composuit somno: cubuit prope regia Juno.

*Homeri Iliados librum primum Latine a Raymundo Cunichio Ragusino redditum
Vojin Nedeljkovic Belgradensis exscripsi anno bismillesimo mense Aprili.*